APPARATUS
AD
HISTORIAM SVEO-GOTHICAM
CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,

PHIL. ET THEOL. D:R.,

PRÆFECTUS BIBLIOTHECÆ LUND., ORDINI THEOLOGORUM ADJ.,

ET

MALTE C. J. EURENIUS,

SCAN.

DIE 27 APRILIS 1842.

P. LV.

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. FR. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXLII.

Aphorismi Respondentis.

I.

Vera et fida amicitia non nisi inter bonos homines esse potest.

II.

Theologia est scientia omnium præstantissima.

III.

In cognitione sui positum est fundamentum felicitatis.

bis propheta vult dicere: Non laudant eum labia tantum. sicut illorum, de quibus ysayas: Populus iste ore suo et labiis glorificat me, cor autem ejus longe est a me. Sed laudet eum anima Christiana cum reverencia et congruentia etc. ut supra dictum est.

Ideo vicarii seu prebendarii et chorales in choro constituti, gravitatem servent prout locus et officium exigunt, non insimul aut cum aliis confabulantes, sed cum psallendi gracia ibi conveniant, muta aut clausa labia a divina laude tenere non studeant. Nec quisquam eorum dum hore canonice publice cantentur, legat in choro privatum officium seu oraciones, seu eciam in choro beneficium absolucionis expetat. quia non solum obsequium quo obnixius est choro subtrahit, verum et alios psallentes perturbat.

Illam eciam consvetudinem, que corruptela pocius dicenda est, omnino inhibemus, que huc usque per plures est observata, videlicet, quod quidam choralium post Gloriam patri in Venite, vel post ympnum in primo nocturno intrant chorum et iterum exeunt, redeuntes circa secundum nocturnum aut tercium, aut post Te Deum exeunt usque ad capitulum in laudibus, sub quo conscribi absentes deinde quidam exeunt post incepcionem Benedictus, nec redeunt. Similiter in vesperis suo modo et vigiliis defunctorum, et in missa post evangelium vel elevacionem. Istos non dicimus interesse horis, nec presentes, sed absentes, cum interesse dicuntur hii qui ex principio horarum et ad finem interesse laborant. Tabularius tales divagantes signare tenetur pro absentibns, nisi habuerint necesse exire, et hoc fiat ad modicum spacium.

Item statuimus et mandamus omnibus prebendariis ecclesie nostre Aboensis, sub decreto obediencie, quatenus de cetero singulis diebus tam in festivis quam ferialibus, personaliter intersint majoribus horis et processioni memoriis corporis Christi, et beate virginis, ut sic divini cultus decor et zelus domus dei profeccior habeatur, presertim cum id in statutis provincialibus novissime editis expressius caveatur.

Item statuimus et decreto obediencie mandamus, quatenus in festis prelatorum duo semper prebendati secundum ordinem cum duobus choralibus ad rectorias in choro in horis majoribus deputentur, et ad Evangeliam administrent. Exceptis festis dedicacionis ecclesie, beati henrici pas-

sionis, translacionis ejusdem, et nativitatis Marie, quod tunc hujusmodi officia per rurales habeantur.

Item statuimus quin eciam districte precipimus, quod prebendati in festis duplicibus teneant horisteram juxta antiquam consvetudinem sub penis inferius expressis.

Item statuimus, quod horista debet incipere horas et primam antiphonam super psalmos et antiphonam super magnificat, et benedictus, et debet legere preciosa, collectas, ultimam leccionem in matutinis et benedicciones leccionum, et cantare summan missam. Item horista legente leccionem ultimam, senior post eum benediccionem ejusdem dicat, et novam post missam summam intonet et consummet.

Item primus cantor debet incipere Invitatorium, omnes psalmos et antiphonas post psalmos, et introitum misse, kyrieleyson, graduale, offertorium, sanctus agnus dei. Et communionem. Et cantare debet in Venite primum et ultimum versum. Et similiter in ultimo responsorio, et predicere sive innuere antiphonas. Primo horiste, secundo in alio choro, eciam communiter, regulariter de uno choro ad alium, et debet libros claudere et aperire suis temporibus.

Item secundus cantor debet legere primam leccionem et in kalendario et epistolam, et cantare versum in alleluja, et tractum primum in quadragesimo solus in feriis, sed cum tercio in simplicibus festis, et afferre horiste collectarium. Et Confiteor legere cum sacerdote, et ministrare sibi vinum et aqvam, et omnia alia ministeria facere sacerdoti. Et debet habere primalem missam in choro, quando due misse sunt habende, et in festo simplici vel majori omnia de primo cantare scripta debet cum secundo observare. Excepto quod in missis festorum trium leccionum et ferialium debet servire solus indutus celebranti. Cujus officium tercius cantor tunc supplebit. In festo vero simplici, semiduplici vel duplici et toto duplici, non autem in festis prelatorum debet servire loco dyaconi, et tercius loco subdiaconi, nisi fuerit tercius senior, et tunc quartus cantor loco secundi cantoris debet permanere.

Item in totis duplicibus, primus et quartus, quintus et sextus sint rectores. In festis autem summis scilicet prelatorum, primus et quartus cum duobus prebendariis sint rectores.

Item secundus cantor debet cantare primum versum, et secundus secundum cum secunda leccione.

Item notandum, quod si aliquis officiatus defuerit tunc primus sequens choralium officio carens absentis officium adimplebit, absens tamen solvat errores contingentes officium suum complentis.

Quicunque defuerit processionibus aut memoriis supradictis vel qui sub sermonibus celebrare cum pulsacione presumpserit, quando sermo fit in ecclesia, solvat solidum I. xii denarios usuales sive prebendatus fuerit sive choralis.

Provideant chorales, ut sint omnes in choro quando compulsatur, quia facta compulsacione chorista debet legere de cruce cum aliis choralibus tonaliter et voce alta Pater noster, Ave Maria et Credo, quo facto sine fraude statim horas incipiat sub pena unius denarii proviso quod omnes chorales sint congregati in choro, induti superpelliciis ante finem compulsus matutinarum summe misse, vesperarum prime et tercie in ebdomada, pentecosten, et completorii in quadragesima, sub pena dimidii denarii. Sed quicunque choralium ingressus fuerit summum chorum sub divinis, solvat unum denarium ad manus tabularii tantum et prebendatus ad manus tabularii sui.

Si horista venerit post primum psalmum, dabit duos denarios, si deest totaliter tres denarios; hoc idem cum primo cantore est tenendum. Sed alii chorales post primum psalmum in vesperis vel post Venite in matutinis, vel post Gloriam in introitum misse, vel post finem ympnorum in prima, tercia sexta et nona, vel post primum psalmum in completorio venerit, solvat unum denarium, horista autem et primus cantor solvant duplum, ut predictum est. Et hec intelligenda sunt in feriis et trium leccionum. Pro festo vero simplici et simiduplici solvatur duplum. Pro festo vero duplici triplum, pro toto duplici quadruplum.

Statuimus, quin eciam districte precipimus, quatenus nullus choralium ab horis se absentare presumat, sed nec prebendarii a majoribus horis se absentare presumant.

Item, quicunque choralium se absentaverint de matutinis missa aut vesperis, vel completorio in quadragesima, solvat duos denarios. Qui vero de horis minoribus, unum denarium. Ista pena cum horista et primo

cantore semper duplicatur et hec intelligenda sunt in feriis et trium leccionum pro festo vero simplici et semiduplici solvatur duplum pro festo autem duplici triplum. Sed pro toto duplici ut supra quadruplum.

Item, qui post tercium psalmum nocturnalem ut post Evangelium in missa aut capitulum in vesperis, vel in completorio, vel post primum psalmum in minutis horis venerit, pro absente computetur, et solvat absenciam hujusmodi secundum differenciam feriarum et festorum, ut predictum est.

Item, quicunque prebendariorum aut choralium se a choro absentaverit tempore quo dicuntur hore in ecclesia, licencia non obtenta, eciamsi in ecclesia moretur, quascunque alias missas preter missam aurore celebrando, vel vigilias extra cantando in quocunque choro penam absolvat absencie, nisi hujusmodi celebrans, vel cantans alium loco sui substitutum habuerit demptis hiis qui missas ordinarie institutas. Fuit autem olim consvetudinis commendabilis ne quis choralium missam peculiarem cantando diceret, antequam missa hore sexte fuerat elevata; quam eciam jammodo confirmamus.

Item, quicunque prebendariorum aut choralium non interfuerit processioni ordinarie superpelliciatus, solvat sicut pro missa, eciam si celebracioni misse aut aliis occupacionibus in ipsa ecclesia tempore processionis se ingesserit. Et similiter puniatur qui non fuerit in stacionibus seu memoriis corporis Christi et beate virginis. Processiones enim ordinarias vocamus, que in dominicis aut festis ante summas missas, aut in feriis post missas votivas fieri consveverunt.

Item legens privatum officium seu oracionis vel absolucionis beneficium petens, aut alicui impendens sub horis tanquam absens puniatur secundum differenciam feriarum et festorum, eciam si chorus per scolares officietur.

Item prebendati contra statutum et mandatum superius expressum a majoribus horis se absentantes, vel a eectoria vel ab Evangelio, solvant unam oram Stockholmensem pro qualibet hujusmodi horarum vel officiorum, nisi habuerint substitutum prebendatum pro officio, vel licenciam superiorum pro absencia. Et illam penam in proxime futuro choralium capitulo sub pena privacionis offiicii exponere tenentur, nec debent in hujusmodi officiis chorales substituere.